

# SYPHILISMUS

SPECIMEN INAUGURALE

## POLITICO-MEDICUM

QUOD

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO PRAESIDE ET DIRECTORE, SPECTAB. DOM. DECANO, ET CLAR. D. D. PROFESSORIBUS I. FACULTATIS MEDICAÆ, PRO CAPESSENDO GRADU DOCTORIS MEDICINÆ, IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA LITERARUM UNIVERSITATE UNGARICA PESTIENSI

## PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**FERDINANDUS GORIUPP.**



---

In theses adnexas disputabitur in Palatio majori Reg. Univers.  
die Junii 1831.

---

PESTINI,  
TYPIS LANDERERIANIS.

SEINEM  
INNIGST GELIEBTEN BRUDER  
**ANTON GORIUPP,**

A U S  
**UNBEGRAENZTER DANKBARKEIT**

WIDMFT  
**DIESE BLÄTTER**

DER

**AUCTOR.**

## Vielgeliebter Bruder!

Wenngleich mehrseitig mit innigstem Dank ich mich verbunden fühle, so blieb doch bei Widmung dieser meiner Erstlingsblätter keine Wahl mir übrig. Nur Dir, als dem Urquell, woraus mir jedes Wohl entsprungen, gebührt der erste, der höchste Dank.

Als ich in meiner Kindheit ersten Tagen, ein armer, hülfloser Waise fremden, menschenfreundlichen Herzen anvertraut, in der Rohheit tiefem Schlummer lag: so warst Du es, der in weiter Ferne meiner sich mit heisser Bruderliebe erinnerte, und dem knächtischen Joch dunkler Unwissenheit mich entreissend, in mir zugleich die Begierde, nach höherer Bildung zu streben ansachte.

Du warst es, Theurer Bruder! der liebreich, der eignen Familie mich anschliessend, mit wahrer Vatersorge meiner pfleg, der mir volle Gunst gewährend, frei und ohne Anstoss dem Drang meiner Neigung, den Wissenschaften, mich folgen liess, und der im Laufe so vieler Jahre mir täglich, ständig neue Opfer brachte.

Du warst es wieder, der, als ich, um den höhern Wissenschaften mich zu weihen, diese Bahn betreten musste, keine Kosten, keine Opfer scheuend, freudig auch diesen süßen Wunsch mir gewährte.

Du bist es endlich, der nach mühvoll erungenem Ziele mir nun den Lorbeer reichen lässt, und somit des heutigen Tages, meines Lebens höchste Freuden schuf.

Du bist es, der mein ganzes Glück begründet. — —

Stumpf ist der Sinn, die Sprache arm, der Gedanke matt, leer die Worte, den Dank zu fassen, der mir im tiefen Innern für Dich erglüht; denn nur ich weiss, was Du an mir gethan, nur ich kenn', die grossen Opfer, die Du mir gebracht, nur ich fühl' die Stärke deiner Bruderliebe: d'rüm frei und wahrlich kann ich der ganzen weiten Welt es sagen: Nie hat es ein bessres Bruderherz gegeben! —

Nimm diese Blätter hier als den schwächesten Beweis meiner unbegränzten, ewig dauernden, innigsten Dankbarkeit

von Deinem

Bruder  
Ferdinand Goriupp.

---

## P r a e f a t i o .

---

Pro themate Dissertationis meae inaugu-  
ralis morbum latissime per orbem dis-  
minatum, et quidem Syphilidem assum-  
mere constitui, eo ex motivo, quod eun-  
dem observandi occasionem in Nosocomio  
Academico, Civili, et Militari per decur-  
sum duorum annorum habuerim amplissi-  
mam. Hoc in negotio secutus praeprimis  
nobis a Meritissimis nostris Praeceptoribus  
communicata, nec tandem Cell. Wendt,  
Swediauer suis locis consulere neglexi.  
Lubens fateor pluribus mendis huncce sca-  
tere tractatum, sed quid valeant, quid non  
valeant humeri e ludo litterario vix egressi  
tyronis? — id judicio benevoli, ac rei pe-  
riti Lectoris decidendum committo.

## Definitio Syphilidis.

Est haec illa peculiaris Cahexia, quae excitatur per contágium specificum syphiliticum dictum, quod parti organismi teneriori epidermide vestitae, aut eadem orbatae applicitum, initio excitat morbos tantummodo topicos (urethritidem, ulcera, bubones) serius in organismi penetrabilia susceptum morbum universalem (quem syphiliticam) provocat.

## Conspectus historicus.

Dissentiant Auctores hodieum inter se, dum de origine hujus morbi quaestio movetur. Antiqui, et cum his Astrologi ab influxu planetarum, Alii ab influxu diaboli, morbum ut poenam Dei considerantes, repetiere. Tardius postquam artem medicam peculiaris tribus profiteretur, medici ab aliis morbis syphilidem repetebant donec A. 1494. dum Cristophorus Columbus ex America redivisset Celleberrimi Viri ut Astruc, Boerhave, et Girtanner morbum venereum per nautas ad Europam translatum fuisse, putarent. Interim criticae disquisitiones extra dubium ponunt, morbum huncce prius; quam Columbus ex America redivisset, in Europa exstitisse, adeo, ut eundem nec ex America, nec Asia, nec Afriā ad nos delatum, sed generi humano coaevum esse. Morbos genitalium topicos syphiliticos antiquissimis jam temporibus exstitisse, historiae assatim comprobant, imo hodieum, ut observatio custa-

docet absque contagio syphilitico aliunde adlato morbi topici syphilitici generantur, et quidem: per exercitium functionum sexualium haud congruum; ita sub catameniis, aut blennorrhaea vaginali insonte; porro per polyandriam, polygyniam. Nihilominus morbus, qui omnibus suis symptomatibus cum moderna nostra lue syphilitica congrueret, ab antiquis descriptus haud est; ideo summe probabile est, morbum huncce perfecte evolutum non exstisset: morbum itaque syphiliticum saeculo XIV. XV. cum primis autem in Italia ortum fuisse, verisimillimum est. Ad genesis vero consultit lepra tunc late per Orbem extensa, constitutio peculiaris atmosphaerae epidemica. Per Ferdinandum tunc Hispaniae Regem Mauri, Hebrei omnes ex Hispania pulsi partim in littoribus Africæ, partim in Italia, et quidem Provincia Neapolitana, Romana refugium quaesivere, ex inde nunc novus morbus exortus est, - qui ob constitutionem epidemicam cito propagabatur. Carolus VIII. Rex Galliae Italiam invadens Neapolim obsidet milites morbum contrahentes (unde morbus Galicus, Neapolitanus) in reditu eundem per majorem Europæ partem disseminarunt.

### Natura Contagii syphilitici.

Est contagium hocce syphiliticum ab omnibus aliis contagis distinctum materiem constituens, nec instrumentis, nec reagentibus chimicis, sed ex effectu duntaxat per ipsum contagium in organismo vivo, provocato, demonstrandam. Generatur vero in corpore vivo per ipsum hunc morbum, quem syphiliticum nominamus. Vehiculum eius sistit materia puriformis e partibus inflammatis, suppurantibus propullulans. In viris haud difficulter

scaturiginem eius reperies, difficilius longe candem in faeminis deteges, Quam cito ulcusculum exiguum intra rugas vaginae haerens, visum praeterfugit, regnarus ultra perspicit; idcirco haud raro contigit ubi mulier conscientiose pervestigata, virum proximo amplexendum inficit. Licet antiquissimis temporibus uti Saeculo XVI. Contagium isthoc pro volatili declaratur: observationes nihilominus recentiorum uberrimae extra dubium ponunt, idem hoc contagium indolem fixam praeseferre, ita quidem: ut ad id, ut effectum suum exerat, necessario requiratur, partem Organismi, quacum contagium in immediatum contactum veniat, epidermide aut tenui vestiri, aut omni orbatam. Frequentissima occasio fomitem isthunc morbi suscidiendi est coitus, non tamen unica; nam idem hoc Contagium communicatur et per labia oris, linguam, oscularum, pocularum, fistularum fumantium medio, per mammas infantibus sugientibus, et vicissim per infantes infectos mammis lactantium contagium imperit. Communicatur porro per instrumenta chirurgica, uti lanceam, syringam, per transplantationem dentium, imo et ipsi obstetricatores ope digitorum sauciatorum isthoc contagium inique suscipiunt. — Dispositionem ad hunc morbum, proh dolor! late per genus humanum extensam offendimus, cum nec ipsam innocentem aetatem infantilem exceptam, et ipsos senes cum hoc morbo collectari videamus. Sexus uterque parem dispositionem offert. Aliqui tamen, licet paucissimi de inreceptivitate erga huncce fomitem morbosum gloriari possunt. Pro diversitate autem hujus dispositionis variae oriuntur ex eodem contagio morborum formae. Variat tandem dispositio in uno eodemque homine pro ratione exaltatae irritabilitatis, idcir-

co post excessivum usum spirituosorum, vel stadio reconvalsentiae major quoque receptivitas erga isthoc contagium offertur.

Susceptus per Organismum morbi fomes non illico fructum producit, sed gliscit per plures horas, dies imo et menses, donec tandem pro dispositione aegri praesente diversa, pro varia organisatione partis, cui contagium adplicatum fuit, diversos morbos topicos in lucem ederet, quorum morborum initio localium, postea morbi universalis expositionem nunc paucis exequemur.

### Urethritis syphilitica.

(Medorrhaea, Gonorrhaea, Blennorrhaea, Urethralgia, Blennorrhagia) est inflammatio membranae mucosae Urethram obvestientis, connexa cum secretione morbosa] muci puriformis, inducta ut plurimum per coitum impurum. Non tamen omnem fluxum muciformem ex Urethra illico pro syphilitico declarabis, cum idem hocce profluviump per diversas causas induci videamus. Sic non raro observare licet per mechanice irritantia, uti per applicationem catheteris, cereolorum; per calculos urinales urethram permeantes profluviump puriforme ex urethra elici; porro per remedia chimice agentia uti diuretica acria, balsama, cantharides, per potulenta, uti vinum hornum, cerevisiam nedum satis fermentatam; excitatur per refrigerium genitalibus cum primis admissum; denique inducitur per alias morbos partim symptomaticae, partim metastaticae, uti lithiasim, helmenthiasim, anfractitudem, haemorrhoides, herpetem, scrophulosum. Horum

itaque momentorum pathogeneticorum pensitationem medicus diagnosim construens, in omni casu individuali criticam instituat, est necesse.

Decursum Urethritis syphiliticae in tria dividimus stadia, utpote stadium invasionis, inflammationis et relaxationis.

**Stadium invasionis.** Non illico post susceptum contagium, sed pro ratione individui post 1. 2. 3. 7. rarius 14. dies evolvuntur symptomata morbum annunciantia, quippe aeger insolitam quamdam tensionem in genitalibus mox titillationem in urethra persentit, nisus urinam mittendi frequentior redditur, erectionis penis crebriores contingunt, stimulus in venerem augetur, orificium Urethrae colore cingitur rubro, mucus urethralis copiosior secernitur. Durant haecce phænomena pro ratione constitutionis individualis, potentiarum, quibus aeger exponitur, diverso tempore 1—7 diebus.

**Stadium inflammationis.** Symptomata praecedentis stadii in et extenduntur. Titillatio in ardorem, saepe intolerabilem, transit, apud alios vix perceptibilis est; nisum urinam mittendi aeger frequentissimum experitur, sub quo lotum saepe summa cum adstrictione, metu, contremiscentia totius corporis, rivo interrumpo, bifurcato, iam et guttatum mittitur; alios dum ultimas exprimunt guttas, dolor pungens in perinaei regione extorquet, sub quo non raro una alteraque gutta sanguinis ex urethra manat. Dolor ardens quoad sedem variat, ita, ut nunc magis ad orificium urethrae, nunc radieem penis, nunc in regione fossae navicularis vividius sentiatur. Quod tempus concernit, mox post pastum dolorem mitiorem, serius vero et tempore matutino dolorem utplurimum intensorem

evadere experientia docuit. Per irritantia quoquomo-  
do in organon adfectum agentia atque inflammationem  
exasperantia morbosa penis frequentius deorsum incur-  
vatio contigit (chorda venerea, Gonorrhœa chordata)  
sub qua nonnunquam spermatis, imo et sanguinis ipsius,  
posterioris quantitate varia, haud raro cum levamine  
aegri, excretio subsequitur. Alterum non minus patho-  
gnomonicum signum Urethritis constituit secretio muci  
puriformis, albo opaci, alias flavescentis, virescentis, imo  
et nigrescentis vestes lineas contaminantis, odore pro-  
prio vix describendo instructi, quantitate diversa pro-  
fluentis. Fit tandem non raro, ut partim ob peculia-  
rem aegri costitutionem, partim potentias quibus aeger  
exponebatur phonomena periculosa ut symptomata Ure-  
thritis syphiliticae semet sistant. Huc Orchitis, epi-  
didimitis, phimosis, paraphimosis, ophthalmoble-  
narraea, bubones, rarius Cystitis, enteritis cum fe-  
bri symptomatica numerari omnino merentur. Exten-  
ditur Stadium hoc per 4. 7. 21. diem.

Stadium relaxationis. Cuncta quae priori stadio  
enumeravimus phonomena morbosa successive miti-  
gantur, dolor quippe innminuitur, evanscit; secretio  
vero muci puriformis continuat per duas, tres septi-  
manas haud raro et per annos (blenorhoea post-  
huma).

Quod Durationem decursus morbi totius concer-  
nit, haec admodum variat pro ratione causæ excitan-  
tis, gradus morbi, constitutionis individualis, poten-  
tiarum sub quibus aeger vixit, nec non therapiae  
adhibitæ, adeo ut tempus per quod totus morbus ex-  
currit sint hebdomades sex, decem imo et anni. Fre-  
quentius etenim contigit ut morbus, qui in stadio ter-

tio jam constitutus erat, metu vix derelictam reinterare soleat.

Differentia ratione sexus. In faeminis decursus minus dolorificus esse consuevit, inflammatio restrin gitur ad labia vulvae, clitoridem, parietem vaginae superiori et inferiore; muci secretio copiosior.

— In viris dolores intensiores, muci puriformis copia minor. — In sexu virili porro notabilis discrepancia intuitu sedis notari meretur, ita, ut alia sit blenorhaea externa, alia interna. Quippe inflammatio saepe ad membranam mucosam glandis et praeputii restringitur, vocatur tunc morbus blenorhaea externa, Balanitis, Blenorhaea balani. Rarus casus, ubi inflammatio haec externa in urethram usque exfendetur, ubi tunc Blenorhaea interna evolvitur, cuius decursum descripsimus.

Quemadmodum ad omnem morbum, ita et ad ipsam urethritidem syphiliticam propria dispositio requiritur, in quo tamen haec propria dispositio consistat, certi nihil asserere licet. Id tamen evictum est, hominibus irritabilioribus facilius ac torpidis contagium communicari, licet et torpidorum infectorum exempla haud pauca prostent. — Causam excitantem alii Auctores proprium contagium, sic dictum blenorhagicum, assumunt, alii idem Contagium quod uetus syphiliticum provocat, sub certa positione rerum etiam blenorhaeum syphiliticam progerminare posse contendunt. Quidquid sit, morbum hunc subinde ita contagiosum esse, ut in nonnullis casibus post hunc et syphilis universalis evolvatur, id extra omne dubium ponitur. In casibus tamen longe frequentioribus, ut experientia multorum annorum abunde loquitur, lues universalis haud generatur, sed morbum topicum, atta-

men contagiosum constituit. In quo tamen haec peculiaritas contagii consistat, fatendum est, quod sicut natura morborum aliorum etiam contagiosorum densa tegatur caligine, ita et naturam contagii blenorragici nepotibus enucleandam committimus. Est tandem et Blenorragia sic dicta insons, post fervidum coitum imprimis in neogamis, post coitum cum faeminis menstruantibus, post actionem potentiarum aliarum prius jam in definitione commemoratarum provocata, quam contagiosam esse nemo quispiam facile asseret.

Exodus morbi variat pro ratione extensionis, constitutionis individualis, gradus morbi, et therapiae. In plurimis certe casibus morbum constituit ita mitem ut observato regimine diaietetico antiphlogistico suapte in sanitatem transeat. In frequentioribus nihilo minus aegris neglecta therapia morbus chronicus evadit aegrum adfligens per plures menses, imo et annos, quod pluris est, in aliis incrassationem membranae mucosae urethrae inducit, unde Dysuria, Stranguria, Ischuria pertinax. Ubi morbus componitur cum orchitide et aliis affectionibus symptomaticis in diagnosis adlatis prognosis limitanda, adeo, ut asserere audeam, urethritidem syphiliticam morbum discrimine plenissimum suo tempore constituere.

Therapia Urethritis sicuti etiam aliorum morborum syphiliticorum dividitur in prophylacticam et stricte medicam.

Quod Prophilaxim politico medicam attinet, hujus executio multis premitur difficultatibus, et omnes coordinationes politico medicae ad contagium syphiliticum extinguendum, tentatae yotis neutiquam plene satisfecere. Plurimum hic sperandum esset a debita

juventutis educatione, indefessa inculcatione observantiae legum Religionis, et Moralitatis, a strenua inquisitione faeminarum abjectarum, et relegatione earumdem in civitatibus majoribus ad domos correctorias, et laboratorias.

Cura therapeutica. Character morbi vix non semper initio inflammatorius, ideo curam recte ab antiphlogisticis exordimur, pro ratione Constitutionis individualis, gradus morbi, fors ipsius febris praesentis intensitatis, gradus methodi antiphlosisticae variat, ita, ut jam mitem, jam strictiorem, imo in casibus licet rarioribus et generosissimam indicatam effectui mancipemus. Plurimis tamen in aegris sufficit mitem adhibuisse, et quidem externe ante omnia suspensio uti aegro commendamus; eximum quoque effectum externe praestat peniluvinm tepidum in lacte, decocto furfurum, foliorum malvae etc. Interne decocta emollientia althaeae, salep, radicis graminis, seminum hordei; emulsiones cannabis sativae, amygdalarum dulcium, seminum papaveris, peponum, melonum, cucumerum, cydoniorum ordinamus. — Gradu morbi vehementiori praesente raro universalem, sed frequenter topicam sanguinis deplotionem instituimus medio hirudinum numero vario locis variis applicandarum. Interne si priora non sufficiunt, ob contraindicacionem aliorum salium, ad Calomelam refugimus, quam ibi a fortiori indicatam reperimus, ubi alvum clysmate haud sufficienter reseratam, sollicitare intendimus.

His in auxilium vocatis vix non semper morbum in stadium relaxationis deducimus, ubi rursus therapia variat pro ratione characteris morbi per quem sustentatur ipse fluxus posthumus. Interdum ob membrane mucosae sensibilitatem morbose adiectam pro

fluvium continuare observamus, tali sub rerum casu narcotica stipites dulcamarae, hyosciamus, aqua laurocetasi, opium, et alia indicantur. Haec tamen in aegris non adeo paucis vix sufficiunt, plus externa praestare observavi uti: peniluvium in emulsione amygdalarum amararum; injectio paranda ex aqua simplici cui aqua laurocerasi addita erat; aut injectio ordinanda ex aqua cerasorum nigrorum, cui tinct. opii et acet. lytharg. aliquot guttae adjectae fuerant. — Plurimis attamen in casibus atoniam membranae mucosae urethrae ut causam proximam hujus profluviis culpamus, ideo ratio svadet et, experientia comprobat, methodum stimulanti roborantem indicari, et quidem talia remedia, quae specificè quodammodo hocce sollicitant organon. Huc referimus balsamum, imprimis de Copaiba, Peruvianum, Terebinthinam, gummi resinas, myrrham, olibanum. Peculiarem hoc intuitu, partim ob virtutem, quam omnino suo tempore adhibitae, salutarem exerunt, sed et ob abusum in stadio inflammatorio porrectae, piperis cubebae, famam sibi adscivere. Exhibemus has in stadio relaxationis dosi non adeo exigua, qua vix quem effectum praestant, sed ad drach. unam, duas et ultra pro nyctemero, initio cum saccharo, serius absque omni aditamento. His non sufficientibus ad Corticem Chiae et varia ferri praeparata transimus. Externe injectio-nes instituimus a lenioribus stipticis incipiendo, suc-cessive ad fortiora transeundo. In pertinaci blenor-rhaea postuma etiam cereoli sotutioni lapidis caustici infernalis, mercurii corrosivi immissi, votis medici respondent. Omnibus rebellis morbus subinde per motum corporis vehementiorem saltum; equitationem, in ipsum coitum nonnunquam suffertur. Qui ab elec-

tricitate, galvanismo effectum optatum sperant, ut hic indicatum remedium, adhiberi potest. Ut propriae observationis specimina mihi duos casus adferre liceat. Aegros quippe duos blenorhaea postuma per lustrum vexatos, cuncta hoc intuitu in et externa remedia commendata, in usum incassim vocantes, injectio aquae frigidae fontanae inter 6—8 dies a fluxu chronicō perfecte liberavit. Serius virtutem injectae aquae frigidae repetitis vicibus comprobata vidi. — Praeterire tandem nequaquam possum quaestionem illam ab auctoribus saepius ventilatum an hydrargyri praeparata in topica hacce affectione sint propinanda? Omni et singulo in casu superfluum est mercurium in blenorragia syphilitica aegro exhibere; sed iis tantummodo in casibus, ubi adhibita methodo antiphlogistica longiori tempore, dolor urens in urethra fixus diu perdurans, fluxus muci puriformis coloris viridis, nigriscentis conspicitur, tali sub rerum positione hydrargyrum omnino propinandū est, ad syphilidem universalem paevertendam.

### Orchitis et Epididimitis.

Communiter unus duntaxat testis adficitur, et quidem dexter licet et sinistrum primario inflammatum jam conspexerim. Subito dum morbus evolvitur aeger dolorem in abdomen, tensionem in lumbis persentit; mox nausea, vomitatio, imo et vomitus cum febre sociā, adsunt. Nunc tumor ductus deferentis epididimidis tangitur, qui tumor in ipsum testiculum extenditur. Fluxus materiae puriformis ex urethra imminuit, cessat. Magnitudo tumoris jam ovum gallinaceum, imo pugnum virilem, et ultra aequat; ad pressionem tumor dolet, scrotum in aliis tensum, et inflamatum, in aliis ferme normale conspexi.

Causa morbi sat frequentis est major gradus inflammationis urethrae per nimium motum corporis, saltum, équitationem, rejecto, aut plane non adhibito suspensorio, institutum; per compressionem genitalium opé bracherii, cibos, potus, injectiones irritantes; per refrigerium admissum; per mechanicam genitalium irritationem, uti coitum, manustuprationem, vel tandem occurrere potest qua symptoma luis universalis.

In individuis sanis, diathesi imprimis scrophulosa non affectis, gradu inflammationis leviori praesente resolutio die 8. 9. 10. subsequitur. Subseua resolutione testis affectus semper major tangitur, et non rato tota vita ut talis perstat, quin functio hujus quomodo turbaretur. In hominibus scrophulosis, arthriticis induratio, unde scirrus carcinoma pertimescenda; ubi gradus inflammationis intensior, therapia negligitur in suppurationem transit, ubi in casu quodam partem testiculi consumatam vidi. In latente inflammatione testiculi hydrocele enatum observavi. Varicocele rarer exitus hujus morbi est.

Dum orchitis sequela suppressae gonorrhœae est citra cunctationem topice peni emollientia cataplasma ad fluxum revocandum, scroto vero fomenta frigida imponenda sunt. Pro ratione febris concomitantis intensitatis, localisque affectionis jam venae sectio, jam adiplicatio hirudinum, ordinanda. Fluxu revocato fomenta frigida seponenda, scroto vero nunc cataplasmata emollientia adiplicanda veniunt. Interne remedia antiphlogistica prius laudata, et desuper ad stases resarandas, et indurationem taliter praepedientiam amant medici practici Calomelam adhibere. Effectu manifesto ne dicam palpabili post depletionem

sanguinis institutam ad antagonisticam irritationem provocandam, et impulsum vasis resorbentibus indendum, tartarum emeticum dosi plena non semel adhiberi vidi. Optata resolutione subsecuta usus suspensorii aegro identidem inculcandus. Ad indurationem forte residuam dissipandam usum mediorum resolventium: oleorum pinguium, ung., althaeae, cicutae, hydrargyri, et in casu pertinaciori remedii efficacissimi utpote Jodinae, cuius virtutem iteratis vicibus comprobatam observavi, in et externe, ordinamus.

### Phimosis.

Impedita retractio praeputii per glandem, nomine Phimoseos venit. Distinguimus aliam perfectam, imperfectam aliam. Prior dicitur, ubi per coarctatum praeputium nullum lotium mitti potest; posterior dicitur ubi per lumen praeputii urina fluere valet. Est porro congenita post nativitatem illico observanda, et accidentalis serius per diversas causas evolvenda, quae posterior semper imperfecta, incompleta esse consuevit.

Haec itaque excitatur per inflammationem praeputii, aut glandis, sic frequenter symptoma blennorrhagiae balani, non raro ulceris syphilitici, condylomatum uti specimen instructivum in clinico chirurgico phimoseos per condylomata provocatae, vidimus; verbo iudicetur per omnes causas, quae partim mechanice, partim chimice praeputium, aut glandem irritant.

Morbi hujus praesagium ante repositionem praeputii dubium; nam quid retro constrictum marginem praeputii haereat cum certitudine medicus definire ne-

quaquam valet, Dum a simplici intumescentia membranae mucosae praeputii, et glandis phimosis dependet, exitus morbi laetus; in reliquis casibus prognosia dependet a morbo principali, cuius symptoma phimosis constituit.

Evoluto morbo methodus antiphlogistica indicatur, adpositio videlicet hirudinum numero pro casu individuali determinando; fomenta, cataplasma, emollientia atque totum regimen diaeteticum antiphlogistice coordinandum. — Inflammatione imminuta retractione tamen praeputii haud concessa injectiones inter praeputium, et glandem medio aquae calcis, sacci chari saturni soluti, decocti cicutae cui mercurius corrosivus, tinct. opii simpl. adduntur ad laxum tumorem membranae mucosae contrahendum, instituendac. Contra residuam indurationem praeputii sub orchitide jam laudatam methodum resolventem commendamus. Ubi tamen praeputium omnibus adhibitis remediis retrahi nequit, et desuper fors ulcerum ac condylomatum praesentia, glandis denudationem posceret, nil restat, quam operationem chirurgicam id est simplicem incisionem secundum decursum frenuli praeputii instituere.

### Paraphimosis.

Vocatur ille status abnormis, ubi praeputium retro glandem ita coarctatur, ut glans eo obtagi nequeat.

Originis eius causae diversae sunt, ita praesente phimosi sive congenita sive acquisita; dum praeputium violenter retrahitur morbus oritur de quo loquimur; provocatur porro per causas quascunque, sive mechanice, sive chimice praeputium, aut glandem ir-

ritantes, sic per blenorhacam balani, ulcera syphilitica, condylomata.

Gradus morbi mitior, simplex vix quas molestias causat, at vero, dum tumor inflammatorius gravior cum urethrite interna conjunctus est, penis constringitur, et quasi incarceratur, sanguinis circulatione in venis cohibita, ea per arterias continuante, facile gangraena, sphacelus inducitur.

In morbo simplici fomenta frigida, complicatus vero cum urethrite in, ex externa, cataplasma, ad applicatio hirudinum, verbo methodus antiphlogistica in auxilium vocanda. Tumore inflammatorio dissipato ad reliquias tumoris sufferendas aqua Goulardi, solutio sacchari saturni, et alia adstringentia forma fomentorum in usum trahenda. Tumore imminuto retractio sequenti ratione tentatur: adpositis glandi pollicibus eandem reprimentibus, praeputium vero indice, et medio digito utriusque manus anteriora trahentibus repositio saepe feliciter succedit. Necessitate, ob gangraenam pertimescendam, urgente, nil restat, quam factis aliquot incisionibus, sanguinem deplere, quo detractio conceditur, topice postmodum cataplasma applicandia.

### Ulcera syphilitica.

Ulcus syphiliticum vocatur alias cancer syphiliticus. Duplex distinguimus, aliud primitivum in loco illo, quo contagium egit, immediate provocatum. Frequentissime occurrit in genitalibus apud viros in superficie interna praeputii prope ad frenulum, vel retro coronam glandis, in glande, vidi in orificio ipsius urethrae, quod postmodum blenorhaeum syphiliticam aemulabatur, ulcus exoriri; porro visa sunt ulcera

primaria ad anum, in labiis oris, in foemini in superficie interna labiorum majorum, in nymphis, clitoride, ad ostium vaginae, collum uteri, raro in ipso utero, frequentius in mammis. — Sunt et ulcera sic dicta secundaria, consecutiva per syphilidem universalem provocata in faucibus, scroto, cute universa, conspicua.

Ne error in diagnosi committatur oportet solerter in successivam evolutionem morbi, decursum, characteres specificos quibus haec ulcera ab omnibus aliis ulceribus in genitalibus, et aliis locis saepius occurrentibus per alias causas provocatis, distinguuntur, attentionem dirigere. Suscepto contagio non illico ulcus evolvitur, sed datur et hic stadium incubationis per viginti quatuor horas 2, 3, 6. dies durans, tunc in loco illo quo contagium adplicatum fuit, animadvertere licet maculam parvam rubicundam, duriusculam, aliquantulum elevatam cum sensu tensionis ardoris conjunctam, in medio hujus maculae videre est vesiculam parvam liquido pellucido repletam, quae rumpitur in ulcus jam superficialiter semet extendens, jam profunde penetrans. Margines ulceris sunt inaequales aliquantulum prominentes, callosi; superficies ulceris pure spisso albo opaco, quasi lardaceo, subinde griseo nigrante tecta.

Quod Aetiologiam attinet sufficit dixisse ad topicam hancce affectionem propriam etiam requiri dispositionem, causam vero excitantem, contagium syphiliticum, constituere.

Ulcera syphilitica rarissime per autocratiam naturae sanantur, semper enim succursum artis medicae requirunt. Sibi ulcus commissum praeputium destruit ulcera fistulosa provocat, cancri instar ultra serpit

phimosim, paraphimosim, dysuriam, stranguriam, condylomata, bubones et, ni morbo obices ponantur syphilidem universalem, provocat.

Disceperit in praesentiarum adhuc, num ulcus syphiliticum morbum topicum ita constitutum, quemadmodum blennorrhagia syphilitica? Paucis ad haec respondisse sufficiat. Ulcus syphiliticum utpote primarium, primis post exortum morbum, horis reapse topicam tantummodo affectionem efficit, ita quidem: ut exscissum, aut causticis tractatum illud nulla inequatur lues universalis, diutius autem perstans vix non semper syphilidem universalem post se trahit. Interim arduum admodum est determinatu tempus, quo contagium in massam sanguinis per universum organismum, disseminandum suscipitur. Idcirco ratio svadet et casta comprobat experientia, nonnisi primis post exortum morbum horis, ulcus syphiliticum primarium absque usu interno hydrargyri esse tractandum. Hoc intuitu exscissio totius plague affectae cultri adminiculo, aut quod praestat adustio ope lapidis infernalis commendatur. In casu vero diutius perstantis ulceris, in principio, pro re nata methodus antiphlogistica praemittenda, dein vero antisyphilitica coordinanda. Semper vero a mitioribus incipiendum, hinc mercurium gummosum Plenckii, Calomelam, mercurium Hahnemanni a grano uno pro uychtemero, quae si non sufficiunt ad fortiora: muriatem hydrargyri corrosivi, et alia ascendendo, ordinamus. Topice ulceri mitiori praeter linteum carptum molle, et aquam tepidam vix quid adipicandum; dum vero ulcus signa inflammationis offerret, peniluvium in decocto furfure, malvae, lacte etc. indicatur; praesente vere sensibilitate nimia ulceris, prioribus et narcotica, fo-

lia hyosciami, eicutne etc. adjicienda. Quod si autem character ejus in indolem oppositam vergeret, ad irritantia transimus, ordinando aquam calcis in qua in quaterrendo solvimus calomelam, cui opii tinct, simpl. instillatur; vel applicando solutionem mercurii sublimati; liquorem hydrargyri nitrici; his non proficientibus priora magis concentrata, desuper solutio lapidis caustici, infernalis, aeruginis cupri, cujus ultimi remedii virtutem in ulceribus admodum torpidis, impuris, aut sanguinem facile plorantibus, saepe comprobata vidi, ordinamus.

### Bubones syphilitici.

Bubonis syphilitici nomine intelligitur tumor inflammatorius glandulae, per contagium syphiliticum inductus. Memoratu dignissimum discrimen hic intercedit bubonem primitivum, secundarium, et symptomaticum inter, tum relate ad prognosim ipsam enunciandam, tum ad therapiam ipsam coordinandam. Quantumcunque existentiam bubonis primarii, utpote immediate ad applicationem contagii, quin alter morbus topicus praecessisset exorti, negent; cell. Hunter, Swediauer, et alii imo et me, hac in re castam experientiam hauriente existentia idmodi bubonis primitivi extra omne ponitur dubium; negandum tamen nullatenus est, multo frequentiores bubones secundarios esse, qui videlicet praesente blennorrhagia urethrali, vaginali, ulcere syphilitico, aut pustulis mucosis evolvuntur. Bubo tandem symptomaticus seu constitutionalis audit, qui symptoma syphilidis universalis sistit. Diversa sedes est, quam bubo occupat pro ratione loci, quo contagium primitive egit, pro ratione constitutionis ipsius individualis varians, ita ut nunc bubonem inquinalem omnium frequentissi-

muni, nunc femoralem, nunc abdominalem, pubis; nunc submaxillarem, cervicalem, axillarem propullare, conspiciamus. Cujuscunque ordinis bubo esto decursus eius circiter hic: aeger persentit in loco quo tumor evolvi inchoat, tensionem insolitam, dolorem, motum organi, quod occupat, plus minus impeditum; his subinde accedit febris socia; mox locus praefatus sensibilior redditur, nunc visu, et tactu tumor distinguitur; forma eius ut plurimum oblongo ovalis, in principio magnitudinis nucis avellanae, serius nucis juglandis, ovi gallinacei, et ultra; initio cuti concolor, dein rubescit, dolor intensior evadit, qui ut tensivus per organa vicina extenditur. Serius aut ocyus iam in medio, iam in peripheria tumoris prius duri, nunc plus minus emolliti, plaga flavescentia conspicitur, ubi rumpitur, pusque fundit, aut tumor ex integro indurescit, aut vero quod rarius contingit in gangrenam transit.

Ex prius adlatis sat superque patet, causam bubonis nonnisi contagium syphiliticum constituere, restat ut quaedam de exitu bubonis evoluti, dicamus. Optatissimus exitus citra dubium resolutio est, qua et suppuratio molesta, et cicatrix subinde foeda evitantur; frequentior nihilominus exitus bubonis evoluti suppuratio est, quam saepe citra exiguae molestias nil nisi fatalis illa cicatrix excipit; subinde ob constitutionem aegri minus laudabilem, ob therapiam neglectam sinus efformantur, qui neglecti mortis causam constituunt. Quod exitum in indurationem spectat, hic minus exoptabilis est, cum hic per se consideratus organi, quod occupat, motum plus minus impedit, tandem ut glaudula indurata consideratus, facile in scirrum, carcinoma transit. Maxime tan-

dein pertimescendus exitus est in gangraenam, quam tamen rarioribus tantummodo in casibus observare licuit.

Dissentient Medici inter se an bubo omnis resolvendus an in suppurationem determinandus? Quidquid in partem utramque dicatur, experientia nihilominus monuit resolutionem omnibus in casibus esse tentandam, quae in prothopathieis difficulter succedit, facilius longo in secundariis, constitutionalibusque. Frequentissimus Character morbi est inflammatorius idcirco ad bubonem resolvendum topice pro re nata foimenta frigida ex oxycrato, glacie, ac ceteris frigus excitantibus paranda; porro applicatio hirudinum circa tumorem calidum indicantur. Interne regimen diaeteticum antiphlogisticum, et medicina huic conveniens, ordinanda. Bubonibus sensibilioribus, aut erysipelaceis sacculi aromatici, camphora imbuti, imponendi; tumoribus vero frigidis sic dictis bubonibus lymphaticis emollientia, aut re poscente stimulantia auxilium ploranda: ung. hydrarg., cicutae, liniment. volat. et sic porro.

Fit tamen haud raro, ut quidquid medicus moliatur, resolutionem nulla ratione impetrare valeat, tali sub rerum positione nisum bubonis in suppurationem observamus, quam cataplasmatibus, emplastris, unguentis emollientibus, aut irritantibus, promovemus.

Controversiae observantur et hoc intuitu inter Medicos, num bubo natura aut arte aperiendus sit? Quantum ex vili mea observatione collimare poteram id resultatum deduco, quod nec suppuratio in tam longum protrahatur, nec timor sinuum efformandorum medium angeat, nec cicatrix illa foeda remanere so-

leat, si bubo cultro aperiatur; sed quantis difficultatibus apud homines cultrum horrentes oncotomia prematur, videre quotidie est. Bubo sive natura sive arte apertus nunc secundum regulas chirurgiae tractatur.

Quoad usum internum hydrargyri illud notandum venit, in bubonibus symptomaticis, idiopathicis, secundariis ulceris syphilitici, et blennorrhagiae urethralis posthumae, mercurium exhibendum esse; in bubonibus tamen sympatheticis urethretidis in stadio inflammatorio constitutae, hydrargyrum propinare, superfluum est.

### Pustulae mucosae.

Tractatui de morbis syphiliticis topicis non inconvenienter etiam aliquam adumbrationem Pustularum mucosarum adnectimus, quarum quidem mentionem celebriores in re medica auctores nullam faciunt ast: Cell. Cüllerier, Lagneau easdem describunt. Attentionem autem majorem merentur siquidem experientia teste, post hasce pustulas praegressas syphilis universalis evoluta observata sit. Occurrunt quidem frequenter cum Blenorhea tam interna quam externa, ulcere syphilitico, nihilominus et solae occurrendo visae sunt. Constituunt vero hac pustulae maculas rotundas extensionis trium; sexve linearum, complanatas coloris rubicundi, plus minus profundi ita ut color in peripheria sit magis saturatus, ac in ipso centro; in superficie illarum secernitur liquidum glutinosum peculiarem odorem spargens. Apud mulieres occurunt munditiem negligentes in superficie labiorum majorum, in superficie interna femorum, perinaeo,

regione inquinali, circa anum, papillas mammarum, — apud viros in glande, peni, scroto, perinaeo.

Dum morbis aliis junctae occurunt pustulae, vix peculiarem therapiam reposcunt; sed dum solae visuntur diutius perstantes methodus antisyphilitica mitior requiritur. Interne praeparata hydrargyri saepius jam laudata. Externe, dum inflammatae cernuntur decoctum emolliens foliorum malvae, furfurum etc. applicandum. Ad secretionem mucosam sufferendam aqua calcis, solutio vitrioli zinci, cupri, mercurii sublimati corrosivi et alia hoc facientia.

### Lues syphilitica.

Licet et hodieum praetendant auctores nonnulli morbum syphiliticum universalem exoriri posse, quin ex topicis nunc recensis morbis quispiam praecessisset. Possibilitatem negare hand possumus, cum et alios morbos contagiosos, uti typhum contagiosum, pestim orientalem etc. quin morbus topicus praecedat enasci videamus. Observatores tamen magni recentiores testantur, sibi tales casus nunquam occuruisse, ita ut omnino non immerito dubitemus, an non et in illis casibus, in quibus auctores syphilidem universalem absque praegresso topico morbo exortam vidisse se contendant, affectio quaedam topica praecesserit. Quid enim facilius quam ulcusculum venereum in rugis vaginae reconditum investigantis visum praeterfugit? Ideo cum plurimis aliis ejus sumus opinionis, luem syphiliticam nonnisi praegresso quodam morbo topico exoriri posse.

Quod tempus concernit, quo post susceptum contagium praesente morbo topico primario lues univer-

salis evolvitur, nil determinati adferre licet; sed pro ratione dispositionis serius aut oxyus post septimanas circiter quatuor, sex, octo. Morbis vero topicis ad sensum sanatis contagium syphiliticum per menses imo et annos latere potest, quin suae praesentiae minima pandat signa, quod illi cum pluribus aliis contagiorum speciebus proprium est.

Praegressis itaque morbis localibus syphilitidis universalis symptomata successive evolvuntur. In plurimis saltem casibus prima vestigia morbi venerei sistema membranae mucosae prodit; postmodum sistema cutaneum externum, ultimo sistema osseum afficitur. Neque tamen ordo hic adeo fixus est, ut non et alterum sistema quam mucosum, primum morbi evoluti, symptoma revelaret, cum saepè saepius et serie inversa morbum evolutum fuisse observaverimus. — Primum adeoque morbi syphilitici universalis symptomata constituunt: ulcera syphilitica secundaria, seu consecutiva quae frequentissime primum omnium in cavo oris comparent; quippe aeger accusat dolorem exiguum non raro tamen intensorem sub deglutitione percipiendum in isthmo faucium, qui inspectus parumper rubet, at non multum tumet, quo in statu morbus facile cum isthmitide catarrhali per refrigerium inducta, confundi potest. Inflammatio haec interdum chronica evadit, ita ut aeger interdiu exiguas tantummodo persentiat molestias, ast noctu dolores intenduntur, secretio muci augetur, deglutitio fit molesta, somnus per haec turbatur. Talis isthmitis chronica nonnisi per longiorem observationem in aegro continuatam, pro syphilitica declarari potest, talis tamen rarior est. Longe frequentius post paucos dies isthmitis idmodi transit in exulcerationem per quam ulcera pauca unum,

duo aut tria raro plura efformantur suntque figurae ut plurimum rotundae marginibus duris, tumidiusculis quasi callosis ex perpendiculariter abscissis, sed erosio cincta, superficie lardacea, pure nempe spisso coloris sordide albi quasi cinerescentis, flavescentis obtecta, peripheria ulceris ut plurimum rubra, erysipelacea. Ulcera haec in diversis partibus cavi oris conspi ciuntur, et quidem subinde in superficie interna labiorum in linguae apice, dorso, gingivis, interna superficie gen narum; alias in palato frequentissime in isthmo fau cium, et quidem in arcu alterutro veli penduli, in uvula, frequentissime in tonsillis. Subinde ulcera haec re periuntur in cavo pharyngis in parte postica, ita ut biante ore videri possint; alias tam profunde jacent, ut nec conspici queant; nonnunquam nidulantur retro radicem linguae supra epiglotidem, quo in casu vix detegi possunt; subin potius jacent in cavo narium, rarius in anteriori eiusdem parte, saepius profundius at quo excitant symptomata corysae chronicæ, sub qua materia purulenta saepe foetida e naribus ef fuit (ozaena narium). In quantum vero functiones organorum ulceribus obsessorum turbantur, superfluum est physiologiae gnaro, exponere. Sibi relicta haec ulcera partium tam mollium, quam et durarum, nonna utique et functionum jacturam irreparabili modo indu cunt. Summa itaque attentio medico adhibenda, ut haec ulcera ab aliis ulceribus partes easdem occupare solitis, rite, distinguantur. Sunt vero, quae hic occurre re solent ulcera cum syphiliticis primo obtutu confundenda, aphtae, ulcera catarrhosa, scorbutica, mercurialia, quae tamen medicus signorum characteristico rum ulcerum syphiliticorum memor, in omni casu in dividuali sat facile distinguet.

Postquam morbus syphiliticus breviori aut longiore tempore ad membranas mucosas restrictus observaretur, mox et sistema cutaneum inde participat sic subin fissurae cutis cumprimis in volis manuum, aut etiam in pedibus conspiciuntur (*r h a g a d e s*); alias videre est tubercula parva, dura, cuti concolora, indolentia (*c o n d y l o m a t a*) in superficie interna praeputii, glande cumprimis circa hujus coronam, circum anum, in scroto, interna superficie labiorum majorum, femorum, meatu auditorio interno, imo referentibus auctoribus et in corde observata. In principio sicca, serius liquidum glutinosum peculiariter foetens, secernunt, quae serius exulcerantur. Excentiae hae subin peculiarem formam praeserunt, ita exhibent plus minus cristae galli, sicus, fragi, mori; saepe e pluribus baccis componi videntur; alias cum caulibus aut poris comparari possunt, haec forma morbi venerei universalis ab auctoribus vocatur *syphilis vegetativa, frumbesia*. Excentiae tales jambasi, jam petiolo incidentes; frequentissime observantur circa genitalia, anum, et stupendam subinde attingunt magnitudinem uti specimen memoratu dignissimum in clinico chirurgico ante annos duos videre licuit.

Alias solae, aut nexae excrescentiis occurunt maculae syphiliticae in pectore, dorso, extremitatis, collo, facie, magnitudinis lentis, alias majoris extensionis supra cutim parumper elevatae coloris brunescens, rubescens, cuprei, siccae indolentes, saepe tamen excitant pruritum, ardorem, interdiu parum perceptibilem, sed noctu molestum, alias exhalant liquidum glutinosum, contactu atmosphaerae, indurandum; alias in ulcera ipsa transeunt.

Non raro comparent in cute pustulae ad magnitudinem pisi, rotundae, quae circa basim areola rubicunda, cuprei coloris, cinguntur in medio vesicula est, continens liquidum albo opacum flavescentem, pruritum, ardorem molestum noctu excitando, ruptae exsiccantur in crustas bruncas, flavescentes, virescentes, quae si frontem occupant: corona e veneris nomine veniunt. Alias vesiculae minimae magnitudine millium aemulantes visuntur: syphilis miliaris. Hae vesiculae subin, aggregatae, ruptae exsiccantur squammarumque forma secedunt, unde: herpes syphiliticus. Nonnunquam herpes idmodi late per cutim extenditur, gyros, figuras varias, subin litteras quasi repraesentat vocatur: herpes syphiliticus serpiginosus. — Dum morbi hi diversi cutanei per syphilidem producti negliguntur per cutim universam extenduntur, ita ut tota cutis squammis, aut crustis obiecta conspiiat, inter has squammas, et crustas fissurae late serpentes cernuntur, unde syphilis tali forma occurrens non inconvenienter lepra syphilitica audit. Ob morbosam in parte capillata secretionem locum habentem: tinea syphilitica oritur; ob depraevatam cutis organisationem bulbi capillorum ipsi morbose adficiuntur, unde defluvium capillorum alopecia, aliarum porro etiam cutis appendicum morbosa affectio: uti unguium incurvatio, secessus, ipsarum tandem glandularum lymphaticarum affectio: bubones symptomatici, qua sequelae luis hujus venereae evolutae sat frequenter animadvertuntur.

Postquam hi morbi cutanei syphilitici breviori aut longiori tempore praecessissent sistema et ipsum osseum morbose adficitur. Subin ob peculiarem aegri dispositionem, quin affectiones alterius systematis pri-

us semet quoquomodo manifestassent mórbus isthic primario semet per ossium adfectionem pandit: aeger videlicet noctu cumprimis acerbis excrutiatur doloribus rodentibus, terebrantibus, qui dolores frequentissime in ossibus cylindricis extremitatum tam inferiorum, quam et superiorum, non raro tamen et in ossibus latis osse sterno, costis, ossibus cranii, pelves, et ipsis vertebris resident, In principio vix quaedam mutatio in his provocatur, ast morbo diutius perstante tumores e superficio ossium semet extollunt diversae magnitudinis, figurae, nec non consistentiae. Haud raro hi tumores efformantur tantummodo in periosteo, dum molliores tanguntur vocantur gummata, dum vero duriores sunt: tophorum, vel nodorum syphiliticorum nomine veniunt. Subinde ex ipsa substantia ossis hi tumores propullulant, imo tota substantia ossea morbose intumescit, ita, ut et visu, et tactu nos convincere valeamus. Haud raro per processum dynamicum cum vel absque tumore organisatio ossium abnormis redditur, ita, ut jam vide-re est, ossa nimium fragilia, et per consuetum motum muscularum ossis fracturam subsequi. Alias potius morbose emolliuntur: osteomacia unde et rhachitidis syphiliticae exempla prostant. Longe tamen frequentius caries ossium per neglectum morbum venereum inducitur, unde partes solido molles super ossibus sitae inflammantur, exulcerantur.

Ingens est desuper caterva morborum, quos syphilis neglecta in lucem ponit, quae morborum formae variant, pro ratione ipsius constitutionis individualis sic non raro ophtalmides gravissimae, et in specie: iritis syphilitica morbum neglectum excipit. Produ-cuntur porro otites graves, chronicae; meningum,

cerebri, et medullae spinalis adfectiones: unde spasmī, convulsiones, epilepsiae, paralyses, mania; — organorum respirationis, et circulationis adfectiones: tusses, dispneae, cordis palpitationes; — organorum digestiōnis, et chylificationis abnormitates dispepsiae alvi evacuationes abnormes etc. haud raro morbi hujus execrabilis florem constituunt.

Non semper morbum tam facile in omni casu individuali determinatu est, subinde symptomata ejus adeo obscura sunt, ut primo obtutu medicus cautus vix quam diagnosim statuere valeat, haec est syphilis laryata, occulta. Ad hostis hujus in penetrabilibus latentis praesentiam detegendam nil restat, ac scrupulose cuncta symptomata colligere, haec inter se combinare, effectum remediorum adhibitorum rite pensitare, et nonnisi per observationem longiori tempore in aegro continuatam, morbum ipsum pro tali declarare, concessum erit. Premit difficultatem diagnosis statuendi historia morbi insincere relata, ac complicatio syphilitidis cum aliis morbis: sic jungitur saepe scrophulis aetate praesertim teneriore, in adultis scorbuto, rheumatismo, arthritidi, inflammationibus, exanthematibus, profluviis, retentionibus, cahexiis, nevrosibus.

Prognosis syphilitidis evolutae diversa est pro ratione gradus, durationis, complicationis, ac constitutionis individui. Non desunt; qui narrant morbum in regionibus praēprimis calidis per solam avtocratiam naturae sanatum iri, apud nos solae vires organismi morbum devincere haud possunt, adeo, ut nullum prorsus exstet exemplum fide dignum, morbi evoluti, per solam naturam citra concursum artis, sanati. Morbus namque sibi relictus in, et extenditur, ac post-

quam foedam organismi depravationem, destructionem induxisset, aegrum diu noctuque doloribus acerbissimis excruciatus fuisset, febris tandem hectica, aut hydrops miseriarum scenam claudit. Sola itaque ars medica est, quae morbum evolutum sanare novit, hic etiam morbus ex illis est, qui dignitatem, et necessitatem artis medicae quotidie affatim comprobat,

Dum morbus recens est in individuo prius sano nulla diathesi peculiari morbosa praeter hanc, notato, evolutus, sanitatis restituendae spes summa concipienda; ubi vero morbus neglectus majori in gradu in infante tenero, sene decrepito evolutus, exitus morbi anceps; porro dum aeger exhaustus cum alio simul morbo collectatur uti scrophulis, scorbuto, arthritide, phtisi pulmonali ibi praesagium restringas experientia svadet. Metuendus quoque infaustus exitus morbi in gravidis ob abortum facile provocandum. Ubi morbo non tempestiva, sed congrua opponitur cura aegri quidem vita servatur, sed remanent morbi longiori tempore durantes, imo saepe et incurrabiles ita si palatum perforetur, nasus externus majori pro parte consumatur. Subinde vitia organorum sensuum visus, auditus inducuntur, alias labefactatio memoriae, imbecillitas mentis, spasmi, paralyses, habituales functionum genitalium morbi: impotentia, sterilitas; aut dolores articulorum rebelles, et alia innumera mala syphilidem insequi consvererunt.

Indicatio prima in curanda syphilide illa est, ut morbosus ille specificus processus per adlicationem contagii productus, sufferatur. Sustentatur autem saepe processus hic nonnunquam per aliud morbum in organismo praesentem, ideo in omni casu individualiter inquirendum venit, an non complicatio quaedam

praesto sit? ubi haec adinvenitur, videndum an complicatio essentialis, aut tantummodo accidentalis sit. Si complicatio essentialis est rursus discutiendum, an eodem remedio et morbus syphiliticus; et complicacionem constituens, impugnari possint, sic syphilis scrophulae, infactus organorum hydrargyro una sufferri poterunt; aliud vero planum curae in complicatione syphilitidis cum scorbuto definiendum.

Quaecunque remedia hydrargyrum supplere constituta, proposita sunt, omnia ad diem usque hodiernum votis neutiquam respondere, ideo unicum, tutissimum, et suo modo specificum nominandum remedium antisyphiliticum: hydrargyrum, constituit. Fateri quidem grati debemus innunera per hydrargyrum recto tempore, justa quantitate exhibitum generi humano emolumenta impertiri; sed ex opposito nec reticenda sunt innumera detimenta, quae per idem medicamen inepte exhibitum non pauci experiuntur homines. Execrandus namque est pruritus ille nonnullorum non modo chirurgorum, sed et medicorum hydrargyri praeparata immani saepe quantitate exhibendi, et in morbis topicis simplicissimis praeparatum illico fortissimum v. g. mercurium sublimatum corrosivum in usum trahendi. Notissimi sunt mihi casus duo, in quibus sequelas abusus hydrargyri aperte videare est, et hos duos pro cynosura vidisse sufficit. In omni igitur casu constitutio individualis quoad fieri potest rite perscrutanda, morbi gradus definiendus, et nisi periculum urserit, a mitissimis cura atsyphilitica inchoanda.

Quod curam praeparatoriam spectat, pro omni casu individuali accommodata in genere nulla statui potest, idcirco venesectionem a veteribus tantopere lau-

datam in hominibus admodum plethoricis, aut topica quadam inflamatione eminentiore affectis, indicatam reperimus, Plus purgantibus tribuendum ad siccitatem forte praesentem evacuandam, et taliter remoram hydrargyri tubo intestinali exitiosam, susserendam, hoc scopo vel sal Glauberi, arcanum duplicatum; aut torpidis: infus. folior. sennae, rad. Jalappae et alia propinando. — Maximam laudem sibi meruerunt balnea tepida a 25—30 grad. Reaum: euram enim per expeditam transpirationem cutis non parum adjuvari, medici unanimes consentiunt.

Regimen diaeticum sub cura observandum in genere sequens: diaeta esto tenuis, parca prae ceteris vegetabilis, Sunt qui illam ad panem, et aquam restringunt, in geuere haud commendandam. Praestat aegris jura moderate nutrientia, carnes teneras, radices dulces, fructus horreos, pro potu vero aquam simplicem, decocta hordei, avenae, althaeae, cerevisiam et vinum nonnisi debilioribus exhaustis, concessisse. Temperatura ad cutis transpirationem liberam tenendam sit moderata 15—18. grad. Reaum.; motus corporis activus et passivus ubi aegro conceditur, haud denegandus. Reticere hic non possum observationem sagacissimi Jenniker rem medicam in Illyria tractantis; qui testatur aegros sub dio non modo frigido, imo et humido tempus curae transegisse, quin molesta illa salivatione affecti fuissent, verum hos et jucundius et perfectius sanatos fuisse. Id idem confirmat et expertiss. Cambier morbum de Scherlievo in Regione Fluminensi observans.

His itaque praemissis videndum quaenam ex innumeris hucadusque inventis methodis antisyphiliticis in casu concreto sit indicata. Juvabit itaque cele-

briores has methodus succincte adnotasse, ut pro omni casu individuali indicata exquiri queat.

Methodus per extictionem. Aeger pro hacce cura balneis tepidis ac medicina purgante est praeparandus: Numerus balneorum variat pro constitutione aegri, et imprimis cutis externae. Inunctio postmodum ita suscipitur ut initio drach. semis ungu. hydrargyri cinerei in crus illiniatur, et quidem a malleolis usque genu. Subseua die nulla inunctio locum habet, ast tertia die praemissor balneo. inunctio instituitur in femur: a genu usque regionem inquinalem. Quarta die nulla inunctio. Quinta die praemissor balneo inunctio fit in antibrachium; tandem post dient unam vacuam et adhibitum balneum inunctio in brachium instituatur. Finito uno latere eadem ratione inunctio suscipitur in opposito. Notandum est quantitatem unquenti augendam esse ad drachmam unam usque duas pro singula inunctione; diaetam tenuem, temperaturam moderate calidam, potus tepidos auxilium vocanda.

Methodus a Louvrier proposita, a Rust modificata. Et in hac methodo aeger phlogosi praesente venaextinctione, alias vero purgantibus et balneis praeparandus. Diaeta consistit in jure carnium cui semella vel hordeum perlatum, aut oryza incoquuntur. Temperatura sit 18 grad. Reaum. Potus tepidi bibendi. Quantitas unquenti hydrargyri cinerei pro singula inunctione sit drachma una ascendendo, ad duas et semis. Ipsa inunctio sequenti ordine instituatur. 1-a die in bina crura; 2-a die nulla; 3-a die in bina femora, 4-a et 5-a die nulla, 6-a in antibrachia et brachia utriusque lateris, 7-a die nulla, 8-a die in dorsum a lumbris usque collum, 9-a die nulla, 10-a

die in crura, 11-a die nulla, 12-a die in femora, 13-a die nulla, 14-a die in brachia, 15-a die nulla. Hae inunctiones commemoratae mane, subsequae vero vesperi suscipienda, 16-a die in dorsum, 17-a die purgans medicina mane propinanda, 18-a die in crura, 19-a die purgans, 20-a die in femora, 21-a die purgans 22-a die in brachia, 23-a die purgans, 24-a die in dorsum, 25-a die purgans. Quantitas unquenti hydrargyri cinerei sint unciae tres usque quatuor.

Clair Chirurgus Londinensis evadet Calomelae granum semis, unum quotidie ter gingivis, et internae superficie buccarum inficcare;

Lallet Paristensis commendat mercurium dulcem forma fumi applicari. Haec methodus syphilidem sanandi et apud nostros plebejos in usu est, ea cum differentia, quod hi cinnabarim in fumum expandant.

Plures asseclas nacta est methodus a cell. Cirillo proposita consistitque in eo, ut praescribantur merc. subl. corros. salis ammoniaci depurati singulorum drach. duae, axungiae porcinac unc. una, haec exactissime in unquentum misceantur in partes aequales octo dividendum. Aegro per baluem et medicinam purgantem praeparato quotidie inungantur de laudato unquento drach. una in plantain pedis. Quarta die balneum tepidum adhibetur. Dosis unquenti pro singula inunctione non ultra quam ad drachmas duas augenda.

Cell. Vedekind methodum a Cirillo propositam et ab Hoffmanno modificatam laudat in eo sitam, ut frusto vesicae bovinæ aut suillæ ejusdem, ut planta pedis est extensionis, unquentum a Cirillo praescriptum illineatur, plantæ pedis imponatur, ac desuper tibialia adtrahiantur.

Cell. Weinhold Prof. Hallensis proponit ut prima die curae vesperi ante decubitum aegro propinatur Calomelae grana decem; et jus tepidum uno vasculo superbibendum. Post dimidiā horam eadem dosis Calomelae repetitur, una cum potu tepidiusculo. Tantummodo in robustis dimidia dosis laudatae quantitatis calomelae (gran. quinque) denuo exhibeatur. Subsequa die si alvus non sequatur, purgans porrigitur ex rad. Jalappae; et tant. tantaris singulorum granis quindecim usque viginti. Post duorum dierum inducias eadem dosis calomelae propinetur, donec tandem post viginti, et tres dies 160 grana calomelae consumta, finem curae indicarent.

Simon medicus pract. Hamburg. Calomelam in pillulis exhibet cum opio, extract. stipit. dulcam., et herba cicutae initio ad granum unum, successive augendo dosim ad grana 20 — 30, donec ptyalismus compareat.

Cell. Swietenius in locum inunctionis mercurialis laudat solutionem mercurii subl. corros. grana sex in spiritus frumenti libra una, mane et vesperi ad semel cochleari ordinario summendam.

Cüllerier et Langneau sequentem prae ceteris secuti methodum recipiendo nempe: merc. subl. corros. grana sedecim, alcoh. puri drachma una, aquae dest. simpl. libras duas, mane et vesperi cochleari ordinatio, quod circiter continet merc. corros. unam quartam partem gran. — Vel forma pillulari: merc. subl. corros. grana octodecim, farinae tritici drachmas sedecim, pulveris gummi arabici drachmas octo, aquae dest. simpl. quantum satis ut fiant pillulae granorum trium, mane et vesperi pillula una, dein duae sumenda. Quatuor pillulae continent granum semis subli-

mati. Sumtis vero his remediis aqua sachurata, decocta mucilaginosa superbibenda. Recentissime cell. Dzondi svadet mercurium sublimatum corrosivum majori dosi exhiberi ita ordinandum: ut mercur. subl. corros. grana duodecim recipiantur, quae in aquae dest. sufficienti quantitate solvantur, additur de micca panis, et saccharo albo tantum quantum sufficit ad pillulas numero 240. consciendas. Hae pillulae ita sumuntur, ut initio quatuor ingerantur: 2-o die nullae, 3-a die sex, 4-a die nullae 5-a die octo ita addendo omni die tertia pillulas duas donec triginta pro dosi hamaphagica absummenda veniam. Die illa qua nullae pillulae ingeruntur decotum sassaparillae, bardanae etc. auctor laudatus bibendum praecipit.

Ex his ergo methodis dum aliqua pro casu individuali seligitur, attendere medicum oportet ad durationem, intensitatem, complicationem, ad constitutionem tandem individualem aegri.

Evenit tamen haud raro, ubi nulla ex laudatis curandi methodis adhiberi potest, sed medicus pro casu praesente hydrargyri praeparatum tale adhibere, dosique ea recipi cupit, quod in nullis nunc expositis methodis continetur, neque medicum rationalem decet ubique aliorum curandi rationes coece sequi; ideo superest ut hydrargyri praeparata usitatissima paucis percurramus.

Ubi morbus eminenti in gradu evolutus haud est ac proin nulla necessitas fortius praeparatum propriari praecipit medicus humanus a mitioribus inchoat: ab aethiope minerali, antimoniali, mercurio gummoso Plenkii, quae praeparata infantibus, gravidis, debilioribus exhaustis, aut morbo miti in gradu evo-

luto adfectis initio ad granum unum, aut duo pro nychtemero tute exhiberi possunt. Perras Chirurg. Genev. et Sedillot medicus Paris. unquatum hydrargyri cinerei interne ordinant, ubi syphilis cum scrophulis complicata occurrit. — His non sufficientibus ad fortiora mercurium solubilem Hahnemanni, mercurium cinerum Blackii, mercurium solubilem Moscati, Calomelam initio ad granum unum, dein duo, et ultra pro nychtemero ordinamus. — Morbo vero ita consti- tuto ut mitioribus non cedat; aut morbo in tantum evoluto, ut organismo foedam, et periculosam minetur, devastationem, ad princeps hydrargyri praeperatum nempe ad mercurium sublimatum corrosivum transi- mus; dosi initio minima, ad decimam sextam unius grani partem propinando, supra vero sumtum rene- dum semper mucilaginosum decoctum potando.

Ceterum semel commemorasse sufficiat per decocta sequentia uti sasaparillae, bardanae, astragalli exscapi, caricis arenariae, chinae nodosae, et aliorum plurium non parum ipsam curam adjuvari, et accelerari.

Antiquitus syphilitidem absque mercurio medici, et plebeji sanare consverunt, restat itaque ut et de hac methodo quaedam adferamius. Huc numeranda veniunt ex innumeris in hunc scopum adhibitis vegetabilia quaedam, uti lignum quajacum, radix sassaparillae, china nodosa, lignum sassafras, radix bardanae, ra- dix caricis arenariae, radix astragalli exscapi, lignum juniperi, stipites dulcamarae, putamina viridia nuc jugl. cortices duri ejusdem nucis, cortex mezerei, cortex fraxini, lignum visci quercini, radix sapo- nariae etc. etc. — Ex his nunc recensitis decocta concentrata praeparanda, quae diaphoresim cumprimis

**sollicitant.** Plura invicem mixta decocta non exiguae famae constituunt, uti decoctum Pollini, decoctum Zittmannii; cuius postremi eximiam virtutem in sananda syphilide in clinico medico ante annum admirandi occasionem nacti sumus.

Recentissimis temporibus ad sanandam syphiledem commendantur acida mineralia concentrata: uti acidum nitricum praesertim tunc, dum sub cura mercuriali scorbuti symptomata evolvuntur. Exhibitur vero acidum in decocto hordei, malthi initio ad guttas 20, successive ad 110 — 120. pro nyctemero. Eundem effectum praestat acidum muriaticum eadem dosi propinandum. Antiquioribus temporibus uti saeculo XVI. et recentissimis temporibus auri preparata contra syphilidem in usum trahuntur, et quidem iis in casibus cum effectu adhibenda, ubi aeger vix quam receptivitatem erga hydrargyrum offert. Vidi preparatum ejus muriateum auri natronatum in Clinico Chirurgico adhiberi ad duodecimam partem grani semel, bis, ter de die internae superficie labiorum et gingivis infriksam non eo, quem exspectavimus cum successu.

Contra affectiones topicas per syphilidem universalem provocatas, devictas per remedia interna congrua diathesi syphilitica, varia commendantur. Contra maculas syphiliticas lotio earundem medio decocti hellebori nigri, solutionis merc. corros. Contra excrescentias laudant insersionem harum ope pulveris frondum sabinae, adustionem ope lapidis infernalis, caustici, unq. aegyptiaci, arsenici. Tandem ut tutissimum, citissimum remedium: culter

Dum cura in infantibus vix natis suscipienda fo-

ret, et mater aut nutrix ipsa hac labé notata reperi-  
retur, sufficit in tali casu ipsi matri aut nutrici hy-  
drargyrum exhibuisse. Humanitas autem ibidem dis-  
vadet matri, aut nutrici mercurium propinari, ubi so-  
lus infans syphiliticus deprehenditur; idcirco quem-  
admodum infantibus, ita etiam foeminis tenerioribus  
aut plane gravidis nonnisi mitiora hydrargyri pree-  
parata, uti mercurius saccharatus, aethiops antimo-  
nialis, mercurius gummosus Plenkii, ordinanda.

